

die 22. feria quinta, Indictione VII. Zacharias Episcopus
 Leontopoleos, & Georgius Episcopus Adrafi Isauria, &
 Tiberius Diaconus & Notarius dixerunt. Misit nos san-
 ctissimus Patriarcha noster ad sanctissimum Patriarcham
 Constantinopoleos, deferentes ad relegendum in notis. Et
 accepit unus nomine Tiberius Diaconus & Notarius, &
 ascendentibus nobis in Patriarchium, egressus est char-
 tophylax, & diximus ei: significa nos. Et dixit: quæ cau-
 sa est? & diximus ei: Volumus ingredi salutare vestigia
 ejus. Sancta Synodus dixit. Quoniam & virtus, quæ in
 presenti charta continetur, nihil ad præsentem pertinet
 causam, decernimus nec hujus fieri lectionem. Reliqua
 vero legantur. Et lectæ sunt, quas in suis ad Impera-
 torem Libellis Macarius inseruerat. I. Epistola Sergii Pa-
 triarchæ Constantinopolitani ad Cyrum Phasidis Episcopum,
 initium: ἐφ' ὃν μὲν ἡμεῖς, apparuit quidem nobis. II. Ser-
 mo Acclamatorius Menæ Patriarchæ Constantinopolitani
 ad Vigilium Papam. III. Epistola Sergii Patriarchæ Con-
 stantinopolitani ad Honorium Papam: initium: Ἐν τῷ τοῖς
 ἀγιοτάτοις ἡμεῖς. Intantum vobis sanctissimis consonanter in
 omnibus. IV. Epistola Honorii Papæ ad eundem Sergium:
 initium: τὰ γραφέντα παρὰ τῆς ὑμετέρας ἀδελφότητος ἐδε-
 ξάμεθα. Scripta fraternitatis vestræ suscepimus. Verum
 quoad sermonem quidem quasi Menæ ad Vigilium Pa-
 pam, interlocuti Judices dixerunt: Superflua etiam
 præsens lectio sermonis existit quia penitus fictus & fal-
 sus est, eo quod neque in repositis gestis hic fuit vene-
 rabilis Patriarchii Epistolaram Menæ san. mem. hujus Re-
 giæ urbis Antistitis, sermo qui dicitur Menæ ad Vigilium
 invenitur: sed & in superius posita tertia Actione, dum
 relegeretur primus liber gestorum Sancti Quinti Concilii,
 inventi sunt additi tres falsi quaterniones, hunc sermo-
 nem adstruentes. Quumque lecta fuissent exemplaria Ac-
 tionis VII. & VIII. ejusdem Quinti Concilii, tam Ju-
 dices quam Sancta Synodus dixit: In memoria habemus,
 quod tunc prosequuti sunt qui ex parte Apostolicæ Sedis
 antiquæ Romæ falsatam fuisse prædictam septimam Actio-
 nem, eo quod non sunt veraces duo Libelli, qui in ea con-
 sistent.